

PRAEFATIO

bant, et in locis omissis plerumque conspirant, velut § 4 *de bonis . . . si umquam*, § 86 *sine lamentis*, § 105 *illam beatam*. In § 8 ubi *aut C.* omittit *H*, in Σ est *h. d.* (= *hic deest*). Communem Cluniacensis et Harleiani parentem notulis quibusdam criticis instructum fuisse veri simile est, velut $R\tilde{Q}$, R (= *require*) bis exhibet *H* (§§ 18, 67). Aliquando ab Harleiano dissentit Cluniacensis: maximi momenti sunt § 42 *rumorem fabulam falsam fictam levem* ΣB cum *E*, § 75 *limine B, cett. (lumine H)*. In § 79 Harleiani lectionem (*ut ea cernamus quae non videmus*) e corruptela quae erat in Cluniacensi (*ut ea cernamus quae videmus*) fluxisse manifestum est. In § 53 *versabatur*, quod in libris accuratis invenit Gellius, ΣB exhibent. Alia sunt singularia, velut § 3 *confluentes*, § 70 *oportet . . . licet*, § 71 *possit*, § 92 *aspexeritis*, § 101 *multum . . . sanguinis*, § 105 *delegit*.

Religiosus in varietatibus exscribendis videtur fuisse is qui Parisinum 14749 confecit, sed cum propter naturae humanae infirmitatem eum aliqua omisisse veri simile sit, silentio eius non nimium tribuendum esse arbitror. Illud in lucro ponendum est, quod orationis finem (§§ 100–5) Bartolomaeus contra morem suum non delibavit, sed totum exscripsit.

Ante Cluniacensem in Italiam a Poggio deportatum Italis praesto erant exemplaria quaedam e familia deteriorum certis locis hiantia (§§ 12, 36, 44, 48, 61, 78, 79). Agmen ducit codex Lapi, nunc S. Crucis xxiii *Sin. 3 (a)*, de qua egi in Praefatione ad Sullanam et Plancianam (1910), qui liber ab exemplari satis antiquo derivatus ceterorum parens videtur.¹ Eodem fere modo homines Itali quo Francogallus

¹ *Huic simillimus est Bernensis 104 quo in priore editione usus sum. Nunc Bernensi, qui in § 67 deficit, cod. a, qui orationem integram exhibet, praetuli.*